

gradu ascendentibus vocabuntur. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. text. in *Authentic. Defuncto.* versic. 1. *Cod. Ad Terryll.* & ibi etiam communiter DD. text. in *leg. 4. tit. 13. 6. partit.* Hodié tamen ista dispositio juris communis corrigitur per nostram legem, quia fratres vel sorores nullo modo succedunt cum ascendentibus: & certé nostra lex nullam aliam materiam continet.

TEXT. VIII.

„MAndamos, que sucedan los sobrinos con los tios ab intestato á sus tios in stirpem, y no in capita.

Id est:

Præcipimus ut nepotes ex fratribus (Hispan. Sobrini) uná cum avunculis succedant avunculis ab intestato in stirpem, non in capita.

COMMENTARIUM

Ad Legem VIII.

SUMMARIUM.

- 1 Quomodo succedant collaterales.
- 2 Quomodo cognoscatur quod quis sit proximior in gradu.
- 3 An sit sublata differentia agnationis & cognationis?
- 4 An cum bona conscientia possit testator instituire extraneum, & excludere consanguineos collaterales?
- 5 Agnati & cognati usque ad quem gradum succedant.
- 6 Hereditas indivisibilis an pertineat ad collateralem in remotissimo gradu.
- 7 Licet proximiores in gradu quando sunt in pari gradu æqualiter admittantur; si in aliquo reperiat major qualitas, an ipse præferatur?
- 8 An ista major qualitas attendatur ultra fratrem & filios fratrum?
- 9 Si testator instituit fratres suos simpliciter, an admittantur utrinque conjuncti tantum, vel etiam admittantur fratres ex uno latere?
- 10 An habeat locum representatio inter collaterales?
- 11 & 12 Si decedat quis, relictis filiis ex pluribus fratribus jam defunctis, an succe-

(A) Vide Matienz. alios congerentem, in *leg. 5. tit. 8. lib. 5. Recopilat. glos. 1. num. 1.*

- dant in stirpes, vel in capita?
- 13 & 14 Intellectus hujus legis 8.
 - 15 & 16 Si quis instituat fratrem & filios alterius fratris defuncti, an videantur institui in capita?
 - 17 Si testator dicit simpliciter: Instituo fratres meos hæredes: an videatur instituisse etiam filios fratris mortui?
 - 18 Si plures sint in eodem gradu, an succedant in stirpes, vel in capita?
 - 19 An filius ex filio majori mortuo præferatur filio secundo ultimi possessoris.
 - 20 Deficiente linea collateralium, an succedant vir & uxor?
 - 21 Quando dicitur quod uxor succedat, an admittatur sponsa de præsentibus?
 - 22 & 23 Ad hoc ut vir & uxor succedant, an requiratur quod duret matrimonium & non fiat divorcium?
 - 24 Pupillus si decessit sine agnatis, vel cognatis, an succedat tutor testamentarius vel dativus?
 - 25 Si quis decedat ab intestato in Hospitali, an succedat Hospitale?
 - 26 Si quis decedat ab intestato, non relictis consanguineis ex aliqua linea, an succedat Fiscus?

Nota dispositionem hujus legis; nam postquam supra in *leg. 6.* visum est de successione inter ascendentes, nunc in ista lege necessarium est videre de successione ab intestato inter collaterales. Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione, dico & præsuppono, quod collaterales succedunt ab intestato collateraliter suo defuncto, secundum sui gradus prærogativam & proximitatem: Unde, ille qui tempore mortis reperitur proximior, præferatur in successione: (A) text. est in *leg. 2. §. Hac hereditas.* ff. de Suis & legit. heredib. cujus verba sunt: Hac hereditas proximo agnato, id est, ei quem nemo antecedit, defertur. text. in *leg. Jurisconsultus.* & quasi per tot. ff. de Gradib. text. in *leg. 1. §. Proximus.* ff. Unde cognat. text. in *leg. Lege duodecim Tabularum.* versic. Hujusmodi. *Cod. de Legit. hered.* text. in §. 1. *Instit. de Legit. agnat. success.* text. in §. Proximus. & in §. Si plures. eod. tit. text. in §. final. vers. Totiens. *Instit. de Servil. cognat.* text. in *leg. Quotiens utriusque.* ff. de Regul. jur. text. in *Regul. Qui prior.* de Regul. juris in 6.

Et ad cognoscendum quis sit proximior in gradu, semper debet fieri computatio incipiendo ab illo collateraliter qui vult succedere, & faciendo ascensum ad patrem, vel alium ascendentem communem, à quo descendunt, & postea facere descensum ad defunctum collateraliter, de cujus suc-

successione tractatur; & in hoc gradu censentur esse: Unde, in linea collateraliter non potest dari primus gradus, sed computatio incipit à secundo gradu; & sic fratres sunt inter se in secundo gradu, & deinceps alia persona adjecta facit alium gradum: text. est in *leg. 1. §. 1. ff. de Gradib.* ibi: Ex transverso sive à latere nullus est primus gradus, idè incipit à secundo. text. in *leg. Jurisconsultus.* §. Sunt & ex laterib. & in §. Sequent. vers. Idem faciendum ff. de Gradib. text. in §. Secundo gradu. *Instit. eod. tit. (b)* Si verò plures collaterales sint in eodem gradu, tunc omnes pariter admittuntur: Et licet de jure antiquo fiebat differentia, an essent agnati descendentes per lineam masculinam, vel cognati descendentes per lineam foemeninam, qui agnati tantum succedebant, exclusis cognatis, licet proximiores essent; (c) item etiam, cognati non admittebantur de jure civili, sed tantum de jure prætorio: ut in *leg. 1. & per totum.* ff. Unde legitimi. & in *leg. 1. & per totum.* ff. Unde cognati, & in *leg. 1. & per totum.* *Cod. Unde legitimi, & unde cognat.* & in §. 1. & per totum. *Instit. de Legit. agnat. success.* & in §. 1. & per totum. *Instit. de Success. cognat.* Tamen hodié de jure novo Authenticorum indifferenter succedunt agnati & cognati, secundum gradus prioritatem, sine aliqua differentia agnationis vel cognationis: text. est in *Authentic. de Hered. ab intestat. venien. cap. Nullam.* *Collat. 9.* ibi: Sive per masculi sive per femina personam defuncto jungentur: sed in omnibus successioneibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare præcipimus. & ibi communiter DD. (d)

Dubium tamen est, an cum bona conscientia in testamento possit defunctus alium extraneum instituire, & consanguineos suos collaterales om-

nino præterire? Et similiter, an ipse hæres institutus, licet & cum bona conscientia possit bona retinere? Et breviter dicendum est, quod si consanguinei sunt divites, potest licet instituire quemlibet extraneum; si verò sunt pauperes, non potest cum bona conscientia instituire extraneum divitem; si verò æquali paupertate sunt constituti, tunc sint præferendi consanguinei, ut eos teneatur testator instituire: argument. text. in *cap. Si quis dereliquerit.* 30. *distinct.* & in terminis ita tenet Ancharran. in *cap. Mala fidei possessor. de Regul. jur. in 6.* 1. *quest. principali.* Joan. Fab. in §. 1. *Instit. de Hereditat. quæ ab intestat. defer.* & facit illud Augustini: Si quis habet consanguineum pauperem, & extraneum instituit heredem, alium querat pro consilio quàm Augustinum.

Item adde, quod licet in successione ab intestato descendentes succedant in infinitum ascendentibus suis; item etiam ascendentes succedant in infinitum descendentibus suis, quando vita eorum produci & extendi possit natura, vel Dei miraculo: ut in *Authentic. de Heredib. ab intestat. venien. cap. 1. Collat. 9.* ibi: Cuiuslibet natura, aus gradus. & in *cap. Si igitur defunctus.* & ibi Glos. & communis opinio: text. in §. *Intestatorum.* *Instit. de Hereditat. quæ ab intestat. defer.* & ibi etiam Glossa & communis opinio: & tenet & commendat Bald. in *leg. final. Cod. Unde legitimi.* 5. *column. num. 17.* & ibi alii DD. Tamen in collateralibus, gradus successioneis coarctatur: quia agnati succedebant usque ad decimum gradum, cognati verò usque ad sextum; ut in §. *final. Instit. de Success. cognat.* quem ad hoc notant & commendant ibi DD. & dicit meliorem de jure Angel. & illum textum ad hoc reputat singularem Matthæ. in

Trac-

(b) Hanc computationem sic fore faciendam, testatur Gregor. Lop. in *leg. 3. tit. 6. partit. 4. Matienz. in dict. leg. 5. tit. 8. lib. 5. gloss. 1. num. 4.*

(c) Sed dubitari solet, utrum proximitas hæc attendenda sit respectu ultimi possessoris, vel respectu primi fundatoris? Et attendenda esse respectu ultimi possessoris, tenet Socin. in *leg. Si cognatis.* num. 40. ff. de Rebus dubiis. & in *leg. Heredes mei.* §. Cum ita. num. 21. ff. Ad Trebellian. & *Consil. 73. num. 14. lib. 4. & Consil. 43. lib. 5. & Consil. 86. num. 11. lib. 3. Corn. Consil. 22. lib. 2. & Consil. 86. lib. 1. Curt. Junior Consil. 125. num. 4. Anton. Rub. Consil. 36. cum duobus sequentibus. latè Marian. Socin. Consil. 126. lib. 1. num. 36. Gozadin. Consil. 3. num. 17. & 31. Tiraquell. de Retractat. lib. 1. §. Videamus. glos. 1. in fin. Clar. lib. 3. §. Testamentum. quest. 76. num. 14. ubi hanc appellat communem, & nullo modo ab ea recedendum in judicando & consulendo: Alciat. *Consil. 480. num. 12. & Consil. 610. num. 4. Beroj. in cap. In presentia.* num. 417. de Probationib. Menchac. lib. 3. §. 26. num. 11. Alvar. Velasc. de Jure emphiteutic. quest. 50. num. 34. Molin. lib. 3. de Primogeniis cap. 9. per tot. & lib. 1. cap. 9. num. 47. & lib. 3. cap. 4. num. 14. Gregor. Lop. in *leg. 2. tit. 15. partit. 2.* in verb. El mas propinquo parente. ad fin. in verb. Nota item. Vall. *Consil. 100. num. 10. & 18. Pelæz. in Tractat. Majoratum.* 2. part. quest. 8. Paris. *Consil. 2. num. 4. volum. 2. Burg. de Paz Consil. 29. & 8. 41. & 51. Matienz. in leg. tit. 11. lib. 5. Recopilat. glos. 2. num. 1. fol. 354. verb. Talguno de aquel abolengo.* & in *leg. 8. tit. 11. lib. 5. glos. 3. fol. 375. verb. Otro pariente propinco.* Menchac. lib. 3. §. 27. num. 4.*

(d) Idem docet Matienz. in *dict. leg. 5. tit. 8. lib. 5. glos. 1. num. 4. 5. Covarrub. in Epitome successione. num. 11.*

Tractat. de Success. ab intestat. 11. fol. 2. column. num. 30. similis tamen est in leg. 1. §. Hac autem. ff. Unde cognati. & in leg. Non facile. ff. de Gradib. hodié veró, cum sit sublata differentia agnationis & cognationis, ut in dict. *Authentic. de Heredib. ab intestat. venien. cap.* Nullam veró. *Collat. 9.* tam agnati quam cognati succedunt usque ad decimum gradum: (e) Ita determinat Glossa ordinaria in dict. §. final. *Instit. de Success. cognat. in gloss. final.* & ibi Faber. Angel. & communiter DD. Glossa in *Authentic. In successionem. Cod. de Suis, & legit. liber.* & ibi Bart. & alii DD. Glossa in *Authentic. de Hered. ab intestat. venientib. cap. 3.* §. Si veró neque fratres. *Collat. 9.* & tenet Azor. in *Summa. Cod. de Legit. heredib. 2.* column. num. 13. Din. in *Tractat. de Success. ab intestat. penultim. column.* Roland. & ejus Additionator, in *Tractat. de Success. ab intestat. 7.* column. num. 21. Bart. in leg. fin. *Cod. Unde legit. 3.* column. n. 2. Angel. lib. 1. column. Salic. 1. column. num. 4. Bald. 2. column. num. 17. Alexand. 1. column. num. 3. Corne. 1. column. num. 3. Jason. 2. column. versic. *Quintò principaliter limita.* Dec. 3. column. numer. 10. & idem disponit. *lex 6. tit. 13. 6. partit. propè finem*, quæ tamen communiter reperitur corrupta, quia dum dicit *deceno*, debet dicere *deceno*. Ex quo infero novam & singularem declarationem ad leg. 27. *infra. His leg. Taur.* ubi dicitur, quod filius melioratus potest gravari in favorem aliorum filiorum; & in defectum eorum, in favorem ascendentium; & in defectum eorum, in favorem consanguineorum; & in defectum eorum, in favorem extraneorum: ut consanguinei intelligantur usque ad decimum gradum, & aliquo non existente usque ad illum gradum, liberè possit pater gravare filium melioratum in favorem extraneorum.

6 Quod tamen singulariter & noviter est intelligendum, quando tractatur de successione simplici & particulari: secus tamen est si tractaretur de successione Regni, Ducatus, Marchionatus, vel alterius cujuslibet majoratus; quia tunc succedunt quicumque collaterales usque in infinitum secundum gradus prærogativam, nulla facta coarctatione gradus. Unde, si moriatur Rex, Dux, Comes, Marchio, vel possessor majoratus, relicto alio agnato, vel cognato, in remotissimo gradu, etiam millesimo; non debet excludi, sed admitteatur ad successionem: (f) ita singulariter determinat

(e.) Vide Covarrub. idem tenentem in *Epitome success. num. 21.* Matienz. ubi *suprà. glos. 1. numer. 2.*

(f.) Idem tenet Gregor. in leg. 6. tit. 13. part. 6. verb. *Deceno grado.* Catelian. Cota in *Ultimis memorabilib.* in verb. *Agnati.* Covarrub. in *Epitome success. num. 12.* & communem esse testatur idem Covarrub. lib. 3. *Variarum Resolut. cap. 5. num. 4.* vide Matienz. latius id tractantem, pluresque alios allegantem, ubi *suprà. num. 3.*

Bald. per text. ibi. in cap. 1. *de Feudo Marchia, vel Ducat. in lib. 1. Feudor. 1. column. in fin. versic. Quod nota valde &c.* Eandem etiam conclusionem tenet Jacob. Alvarot. in eod. cap. 1. §. *Si Capitanei. penult. column. verb. Et suprà dicta sunt valde notanda.* Illud etiam dictum reputat unicum, & alibi non reperiri, Jason. in leg. final. *Cod. Unde legitimi. 2. column.* tenet etiam & reputat singulare Philipus Dec. in dict. leg. final. 3. column. num. 8. Cœpol. in *Cautela 95.* tenet etiam & valde commendat Guillem. de Monte Ferrat. in *Tractat. de Successione Regum. 3. fol. versic. Ex quibus.* tenet etiam & reputat valde singularem Joann. le Cirier, in *Tractat. de Primogenitur. in lib. 1. quest. 8. column. 1. num. 3.* Jacob. de San. Geor. in *Tractat. Feudor. in part. Quid sit Rex. fol. 2. num. 6.* Roderic. Suar. in *Repetitione leg. Quoniam in prioribus. Cod. de Inoffic. testament. fol. 86. 1. column. versic. Et in successione Regni.* Philip. Dec. *Consil. 85. 2. column. numer. 3. 1. volum.* Pro qua ego considero leg. 2. in fin. tit. 15. partit. 2.

Sed advertendum subtiliter, quod ista sententia & conclusio clarè procederet, quando iste successor collateralis, qui reperitur in remotissimo gradu, esset de descendenti ex primo fundatore; à quo Regnum vel majoratus habuit initium; quia licet sit collateralis respectu ultimi possessoris defuncti, optimè tamen admitteatur ad successionem; quia semper dicitur descendens à primo fundatore, & in linea descendentium non debet considerari gradus, sed omnes succedunt usque in infinitum; ut suprà dictum est, & confirmatur bene per textum, cum materia, in leg. *Unum ex familia. ff. de Legat. 2.* Sed si iste successor, collateralis, qui reperitur in prædicto remotissimo gradu, non sit descendens à primo fundatore, sed sit collateralis ultimi possessoris defuncti, & similiter primi fundatoris, ex cujus persona & dispositione effectus fuit transitus ad collaterales ejus propter defectum descendenti; tunc non deberet admitti ultra decimum gradum. Quod probo à sufficienti partium enumeratione: quia si judicamus hanc successionem secundum naturam feudi, talis collateralis non debet succedere ultra septimum gradum: ut in cap. 1. §. *Hoc quoque sciendum est. de His qui feudum dare possunt. in lib. 1. Feudorum.* & ibi Andreas de Isernia, Bald. & communiter Feudistæ: Si veró ju-

judicamus hanc successionem secundum ordinariam, & hæreditariam successionem, non potest admitti ultra decimum gradum; cum ulterius non extendatur successio collateralium, ut suprà conclusum est.

Sed certè in hoc tam subtili & dubio articulo, ego simpliciter & indistinctè teneo, quod successio Regni, Ducatus, Comitatus, Marchionatus, vel cujuscumque majoratus, pertinet collateraliter qui reperitur in remotissimo gradu, sive successio inceperit in descendenti ab ipso fundatore, sive inceperit in collateralibus ejus. Neque obstat superior difficultas & conclusio, quæ contrarium disponit in feudis: Quia longè differt ista successio de qua loquimur, à feudis, neque debet secundum eorum naturam regulari; ut latius in alio proposito dixi in materia Majoratus. Nec obstat etiam, quod successio ordinaria hæreditaria non extendatur in linea collateraliter ultra decimum gradum: Quia noviter & subtiliter respondeo, quod illud debet intelligi, ut procedat in successione hæreditaria quæ principaliter provenit ab intestato ex legis dispositione; ut in iuribus suprà allegatis, & in leg. *Lege obvenire. ff. de Verbor. signific. & in leg. 1. 2. & 3. ff. de Petit. hered.* unde, meritò per ipsam legem coarctatur: secus tamen est in successione quæ provenit principaliter & immediatè ex dispositione hominis, ut est in nostro casu & quæstione, scilicet in constitutione Regni vel majoratus, in quo post mortem primi possessoris vocavit sequentes in gradu, vel proximiores consanguineos; quia tunc in infinitum videtur vocari; unde, meritò debet admitti ille qui reperitur in remotissimo gradu. Et hoc intelligo & extendo, nedum si dixerit fundator vel constituens, ut regulariter solet dici in constitutione majoratus, quod in perpetuum, semper, & usque in infinitum transeat ad sequentes proximios in gradu; verum etiam si hoc non dixerit, sed tantum simpliciter post mortem possessoris vocavit sequentes in gradu: Cujus ratio est, quia ex dispositione hominis, & sic constituentis, aperte constat velle, quod perveniat ad quemlibet consanguineum, etiam existentem in remotissimo gradu, & bona illa unita conservare, & memoriam ejus perpetuare: quod non esset si coarctaretur usque ad gradum successionis legalis. Confirmatur etiam, quia sicut talis fundator & constituens potuit vocare quoscumque extraneos in tali suc-

cessionem majoratus, à fortiori potuit vocare quemlibet consanguineum, etiam existentem in remotissimo gradu (g). Nec his obstat textus singularis in *Authentic. Ut restitution. fideicomm. &c. cap. Nos igitur. Collat. 9.* ibi: *Quatuor postea generationes, &c.* ubi disponitur, quod si testator prohibuit res alienari, ut non exeant de familia, sed remaneant in ea propter memoriam ejus conservandam, non extenditur ultra quartam generationem, id est ultra quartum gradum: quem ad hoc notat & commendat ibi Jac. de Bell. Bart. Angel. & dicit notabilem Alex. in *Addit. ad Bart. in leg. Pronuntiatio. §. Familia. ff. de Verbor. signific. idem Alex. in leg. Filius familias. §. Divi. ff. de Legat. 1. antepenult. column. num. 7.* Quia singulariter respondeo, quod ille textus debet intelligi, quando testator collectivo modo per verbum familia prohibuit alienare extra familiam: quia tunc talis prohibitio non extenditur ultra quartum gradum; quia propriè in eo conservatur familia, ulterius non: secus verò si particulariter, & non colectivo modo disponat testator, vel constituens majoratum, ut post mortem primi nominati admittantur sequentes in gradu; quia tunc omnes alii admittuntur etiam ultra quartum gradum: & in specie ita declarat & intelligit illum textum ibi Jac. de Bell. final. *quest. Bald. 1. column. num. 3.* Roderic. Suar. in *Repet. leg. Quoniam in prioribus. Cod. de Inoffic. testament. fol. 66. column. 1.* Et advertè, quod mea opinio & conclusio superior longè differt ab eis: quia ipsi loquuntur, quando per testatorem vel disponentem vocantur descendentes, item, quando vocavit in infinitum: sed mea opinio & conclusio procedit, etiamsi vocentur collaterales proximiores, & non vocentur in infinitum, sed simpliciter: Quod summè nota, quia est subtilis articulus, & alibi non ita examinatus.

Advertendum tamen est, quod licet in hac successione & linea collateraliter proximior in gradu præferatur, & quando plures sunt in eodem gradu, pariter admittantur; tamen si in aliquo reperitur major qualitas & conjunctio, ille debet præferri alteri, licet sint in eodem gradu: Unde, si aliquis decedat ab intestato, & in ejus successione concurrat frater consanguineus & uterinus simul, & sic utrinque conjunctus, & frater ex uno tantum latere conjunctus, putà, ex parte patris, vel ex parte matris; præfertur ille qui ex utroque latere reperitur conjunctus: (h) text. est in *Authentic. de*

(g) Vide Covarrub. in lib. 3. *Variar. resolut. cap. 5. num. 4.* & Matienz. in leg. 1. tit. 7. glos. 7. in fine. & in leg. 11. tit. 7. glos. 7. num. 3. & 4. & in leg. 5. tit. 8. lib. 5. *Recopilat. glos. 1. num. 3.* qui latius respondent ad *Authentic. Ut restitution. fideicomm. cap. Nos igitur.*

(h) Si ergo patruus decedat, relicto filii duorum fratrum, quorum alter sit sibi conjunctus ex utroque latere, alter ex uno tantum; procul dubio filii fratris utrinque conjuncti præferuntur in

de Hæred. ab intestat. venien. cap. Si igitur defunctus. el 2. Collat. 9. ibi : Primos ad hæreditatem vocamus fratres & sorores ex eodem patre & ex eadem matre natos. text. in Authentic. de Consanguineis & uterinis fratribus. cap. Quia verò. §. Vult autem. Collat. 6. cujus verba sunt : Vult autem hæc lex, ex utroque decoratos, & simul quidem consanguineos, simul autem uterinos fratres, ad successionem morientis meliores esse quam illi qui solummodò consanguinei, aut solummodò uterini sunt. text. in Authentic. Itaque. Cod. Communia de Success. ibi : In eos solos transmittit hæreditatem, qui ex utroque latere connexi sunt. & ibi notat Cyn. Bald. Paul. Salic. & communiter DD. tenet etiam & notat Azo. in Summa. Cod. de Legitim. hæredib. 2. column. num. 12. Roland. in Tractat. de Success. ab intestat. 7. column. num. 20. & ibi ejus Additio-nator. & idem disponit lex 5. tit. 13. 6. partit. Imò, quod magis est, filius vel filia fratris utrinque conjuncta, præfertur alteri fratri ex uno latere conjuncti, & sic patruo suo : (i) text. est in Authentic. Cessante. versic. final. Cod. de Legitim. hæredib. cujus verba sunt : Et quidem prædicti fratris filius, etsi in tertio gradu sit, præfertur fratribus defuncti, qui ex uno tantum parente cognati sunt. text. in Authentic. Post fratres. la 1. eod. tit. text. in Authentic. de Hæred. ab intestat. venien. cap. Si igitur. el 2. versic. Unde consequens. Cujus ratio est, quia succedunt representando personam patris defuncti, & in locum eorum, ideò meritò præferuntur, sicut pater eorum : & ita etiam disponit lex 5. in finalib. verb. tit. 13. 6. partit.

8 Unum tamen in hoc singulariter est notandum, quòd ista major qualitas conjunctionis non est attendenda neque consideranda ultra prædictos fratres, & filios fratrum : Unde, si quis decedat ab intestato, non relictis descendentes, nec ascendentes, nec fratribus, nec filiis fratrum, sed relicto patruo, qui fuerat frater sui patris utrinque conjunctus, & alio patruo, qui fuerat frater sui patris ex latere patris tantum, vel ex latere matris tantum; ille patruus utrinque conjunctus non præfertur alteri ex uno latere conjuncto, sed omnes pariter admittuntur, quia sunt in pari gradu, quia illa qualitas duplicis conjunctionis ultra fratres &

successione filii fratris ex uno latere tantum, ut tenet hic Gregor. Lop. in leg. 5. tit. 13. part. 6. Covarrub. in Epitom. success. num. 7. Matienz. in leg. 5. tit. 8. lib. 5. glos. 1. articul. 6. Gom. Arias hic. num. 14. Tell. num. 4. & 5.

(i) Idem tenet Gom. Arias hic. num. 19. Matienz. in dict. leg. 5. tit. 8. lib. 5. gloss. 1. num. 7. Velazq. hic. glos. 3. num. 2. Mier. in Tractat. Majoratus. 2. part. quest. 7. num. 8.

(k) Idem tenet Tell. hic. num. 4. Gregor. in leg. 5. tit. 13. part. 6. verb. Hermana. Covarrub. in Epitome success. num. 9. Matienz. in dict. leg. 5. gloss. 1. num. 8. Velazq. hic. glos. 2. num. 2.

(l) Vide Gom. Arias idem tenentem hic. num. final. Gregor. Lopez in leg. 6. tit. 13. partit. 6. glos. 2. Covarrub. in Epitome success. num. 8. versic. Est animadvertendum. Matienz. in dict. leg. 5. glos. 1. num. 9.

filios eorum non consideratur : (k) ita probat textus in Authentic. Cessante. versic. final. Cod. de Legitim. hæredib. & ibi communiter DD. text. in Authentic. Post fratres. la 1. eod. tit. text. in Authentic. de Hæredib. ab intestat. venien. cap. Si igitur defunctus. el 2. versic. Unde consequens est. Collat. 9. Et idem est, si in successione concurrerent filii ex filiis fratrum, qui sunt in quarto gradu; nam æqualiter succedunt patruo magno, licet aliqui eorum descendant à fratre utrinque conjuncto : Similiter etiam idem est, si quis decedat ab intestato, relictis pluribus fratribus patruelibus in quarto gradu; quia pariter succedunt, licet aliqui eorum sint conjuncti ex fratre utrinque conjuncto : Et idem est à fortiori de singulis in ulterioribus gradibus : & in expressò ita tenet & determinat Jacob. de Bellap. in Authentic. de Hæred. ab intestat. venien. §. Si verò neque. penultim. quest. Collat. 9. Paul. de Castr. ubi hoc reputat perpetuo menti tenendum, in Authentic. Post fratres. la 1. num. 4. Cod. de Legitim. hæredib. Corn. ibi. 1. column. tenet etiam Bart. in leg. 2. §. Legitima. ff. De Suis & legit. hæred. & ante eos voluit Azo. in Summa. Cod. Commun. de success. Anton. de Rosell. in Tractat. de Success. ab intestat. 29. column. versic. Sed est aliud pulchrum. num. 154. Si verò concurrat ex una parte frater consanguineus tantum ex parte patris, & ex alia frater uterinus ex parte matris; tunc frater consanguineus debet præferri in bonis habitis & acquisitis ex parte patris, uterinus verò in bonis habitis & acquisitis ex parte matris, in bonis verò aliunde quæsitis pariter admittuntur : (l) text. est singularis in jure in leg. De emancipatis. §. 2. versic. Exceptis. Cod. de Legitim. hæredib. quem ad hoc reputat ibi singularem Bartol. & communiter alii DD. & per illum textum tenet etiam Glossa ordinaria in Authentic. Itaque. Cod. Commun. de success. in gloss. final. & ibi Petr. de Bellaper. 2. column. Cyn. final. column. Alber. 3. column. Bald. Paul. Salic. Faber. & communiter DD. Glossa ordinaria in Authentic. Post fratres. la 1. Cod. de Legitim. hæredib. in gloss. 2. ibi etiam alii DD. Azo in Summa. Cod. de Legitim. hæred. 2. column. num. 12. Faber. §. Reperitis. Instit. de Servili cognatione. 3. column. num. 3. &

& ad hoc illum text. dicit. singular. Angel. in §. Si plures. Instit. de Legitim. agnat. success. 1. column. Platea in §. Hoc etiam. eod. tit. Dyn. in Tractat. de Success. ab intestat. 4. column. num. 17. Anton. de Rosel. in Tractat. de Success. ab intestat. 31. column. num. 165. Matthæ. in Tractat. de Success. ab intestat. 10. fol. versic. Hoc procedit. num. 18. & idem disponit lex 6. tit. 13. 6. partit.

Ex quibus notabiliter infero, quòd si quis vendat rem suorum majorum, quòd frater conjunctus ex parte matris tantum, non potest retrahere rem descendente ex linea paterna, nec è contra. Item etiam infero, quòd si concurrat in retrahendo frater utrinque conjunctus, & frater ex parte matris tantum, præfertur frater utrinque conjunctus, sicut præfertur in successione universali ordinaria: ita reperio quod tenet solus Petr. de Bellap. in Authentic. Itaque. Cod. Commun. de success. 2. column. in fin. quod est singulare. Item adde prosequendo materiam, quòd idem esset in filiis fratrum; nam filius fratris consanguinei succedet patruo suo defuncto in bonis habitis à patre, filius verò fratris uterini succedet in bonis habitis à matre; & sic in eis fit illa distinctio bonorum, quæ fieret in eorum parentibus succedentibus inter se. Et hoc tali fundamento & ratione : quia filii fratrum succedunt representando personam parentum; unde, in eorum locum & partem debent admitti : ut in Authentic. Cessante. Cod. de Legitim. hæred. & dicitur inferius. Item adde, quòd ultra fratres & eorum filios non habet locum ista distinctio & separatio bonorum (m) : Unde, si in successione alicujus defuncti concurreret frater ejus patruelis conjunctus ex parte patris, & alter ex parte matris conjunctus, qui sunt inter se in quarto gradu; vel concurrerent aliæ personæ existentes in alio quocumque gradu; pariter succederent, nulla facta distinctione bonorum : quia in jure non cavetur quòd fiat talis distinctio nisi specialiter in fratribus & eorum filiis : & in terminis ita tenet Petr. de Bellap. in dict. Authentic. Itaque. Cod. Commun. de success. 2. column. in med. versic. Sed queritur. facit bene doctrina Bart. in leg. Lucius. §. Quasitum. ff. de Legat. 3. ubi dicit, quòd appellatione fratrum veniunt tantum existentes in secundo gradu, non verò posteriores; quia propriè non appellantur fratres nisi cum aliqua adjectione.

9 Juxta prædicta tamen subtiliter & necessariò quæro, si testator in testamento instituit fratres suos simpliciter & genericè, vel legavit fratribus

suis; cum plures fratres habebat, quosdam utrinque conjunctos, & alios ex uno latere tantum; an omnes admittantur, vel aliqui eorum tantum? Et certè ex superioribus videtur, quòd tantum per testatorem videantur vocati fratres utrinque conjuncti; quia in dubio testator videtur se conformare cum legis dispositione, & ad eam se referre; argument. text. in leg. Petro. §. Fratres. ff. de Legat. 2. & in leg. Cum ita. aliàs. Omnia. §. In fideicommiss. eod. tit. & in leg. final. Cod. de Verbor. significat. & tradit Bart. in leg. Ut jurisjurandi. §. Si liberi. ff. de Oper. libertor. & in leg. Hæredes mei. §. Cum ista. ff. Ad Trebellian. (n) sed ab intestato sic admittantur per legem, ut in iuribus supra allegatis; ergò sic videantur vocati per testatorem : Et in expressò, istam sententiam & conclusionem tenet Paul. de Castr. in leg. fin. Cod. de Verbor. significat. final. column. num. 6. & ibi Jason. fin. column. num. 26. & Corn. 2. column. in fin. & facit Gloss. singul. & unica in leg. Gallus. §. Quidam rectè. ff. de Liber. & posthum. in gloss. final. ubi dicit, quòd si testator instituit filium & nepotem simpliciter, non videtur eos simul vocare, sed ordine successivo, ut prius admittatur filius, & post ejus mortem admittatur nepos : de quo per DD. ibi.

Nec huic sententiæ & conclusioni obstat solemnis & notanda decisio Bart. in leg. Re conjuncti. ff. de Legat. 3. penultim. column. num. 62. ubi dicit, quòd si pater decesserit cum testamento, vel ab intestato, relictis pluribus filiis ex duabus uxoribus, & unus eorum repudiet, quòd ejus portio non accrescit fratri utrinque conjuncto, sed omnibus æqualiter accrescit : & idem tenet ibi Jason. num. 194. Ripa penultim. fol. num. 212. Bald. ubi etiam ponit alia exempla, in leg. Unica. Cod. Quando non peten. part. peten. accres. 8. column. num. 21. Et idem est quando pater eos instituit & reciproce substituit; quia uno repudiante, non præfertur utrinque conjunctus, sed omnes pariter admittuntur : ita concludit Bart. in leg. Lucius. ff. de Vulg. & pupil. penult. column. & quest. & ibi Imol. final. column. & quest. Aret. penultim. column. Alexand. final. column. num. 20. Jas. penult. column. num. 31. Ripa final. column. num. 47. Bald. in leg. Jam hoc jure. vers. final. finali quest. eod. tit. Bald. in leg. In testamento. 3. column. 5. quest. Cod. de Testamento militis. & ibi Angel. & Salic. final. column. & communiter DD. Et idem est quando venirent ad successionem ex pupillari contenta in reciproca : quia omnes pariter admitte-

(m) Idem tenet Gregor. in leg. 6. Gloss. tit. 3. partit. 6. Covarrub. in Epitom. successionum. 8. versic. 3. dicens hanc communem. Matienz. alios referens, in leg. 3. tit. 8. lib. 5. gloss. 2. num. 12.

(n) Idem tenet Tell. hic. num. final. ad fin. Roj. de Success. ab intestat. cap. 32. num. 12. & cap. 6. num. 11. & 12. Mier. in Tractat. Majorat. 2. part. quest. verb. Edixit. notabiliter Velazq. hic. gloss. 2. num. 2.